

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua  
etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani  
nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium  
Vsvm Ac Prixin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

§. 2. De Antiphonis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](#)

Francolino & Navarro putat orationem cum Benedicamus absque Commemorationibus dicendam, & submissâ voce Orationem Dominicam adjungendam; sed negant hoc necessarium esse Sanch. Azor. Bonart. & multi alij apud & curia P. Gobat *l. c.* eò quòd nulla Rubrica illam recitationem præcipiat. Unde poterit quivis in praxi alterutram partem sequi.

## TITULUS II.

## DE LAUDIBUS.

## §. I.

## De initio Laudum.

I. **S**I Laudes separantur à Matutino, dicitur Pater & Ave ad initium illarum; secus verò, si continuantur cum Matutino. Ita Gavantus, Bonart. Tann. Navarr. Francolinus, apud & cum P. Gobat *tr. 5. n. 673.* ubi ait, se nescire ullum, qui hoc neget præter Azor.

II. **D**EVS in Adiutorium semper dicitur, exceptis tribus ultimis diebus Sacræ Hebdomadæ, & Officio Defunctorum.

## §. II.

## De Antiphonis.

I. **I**N Dominicis, Ferijs & Vigilijs Simplicibus sumuntur ex Psalterio; in Festis vero ex Communi Sanctorum, nisi aliae in proprio de Tempore aut Sanctorum assignentur.

II. In Duplicibus ante & post Psalmos integræ recitantur.

III. Tempore Paschali in Dominicis & Ferijs primi tres Psalmi dicuntur sub una Antiphona. In Festis verò cuilibet Psalmo una Antiphona subjungitur, addito Alleluja, nisi jam antè in illa Antiphona esset additum.

## §. III.

## De Psalmis.

I. **I**N Dominicis sumuntur semper Psalmi Dominicales, excepto tempore à Septuagesima usque ad Pascha, ubi loco primorum duorum Psalmorum dicuntur Psalmi *Miserere & Confitemini.*

II. In omnibus Festis sumuntur Psalmi Dominicales.

III. In Ferijs Psalmus **D**EVS **D**EVS **mous** & **Laudate** semper